



DISPUTATIO

DE

POTENTIA LIBERA ET RATIONALI.

THESIS I.



T eò accuratiùs natura potentiaè Li-  
 beraè & Naturalis nobis innotescat, opera  
 pretium nos esse facturos arbitramur, si qua-  
 dam de ipsius potentiaè ὁμωνυμία præmonea-  
 mus. Neminem autem fugere existimamus,  
 vocabulum potentiaè ἐκ τῶν πολλὰ χῶς λεγο-  
 μένων esse, quæ ita, ceu liquet, comparata  
 sunt, ut plerumque errorem & deceptionem  
 secum trahant, juxta vulgatum illud illustris Scaligeri Exert. 148.  
 Sect. 4. *Errori affinis est ambiguitas. Et, monente Schegkio Topic. pag. 98. Nihil magis rerum intelligentiam impedit, quam varia vo-  
 cabulorum significatio.*

Sumitur autem vox potentiaè vel improprie vel proprie: Im-  
 proprie seu æquivocè accepta nihil aliud dicit, quàm meram non  
 repugnantiam rei; quæ non-repugnantia cum variis modis confi-  
 derari possit, idcirco varia etiam est potentia æquivocè sic dicta.  
 Primò enim non repugnat quantitati hæc vel illa figura v. g. trian-  
 gularis, illi igitur quantitati competere dicitur potentia *Mathema-  
 rica*. Deinde alicui rei non repugnat prædicari de altera, unde ori-  
 tur potentia *Logica*, sicuti quando prædicabilibus de aliis prædica-  
 ri; Propositionibus in alias converti; Syllogismi secundæ & tertiæ  
 Figuræ ad syllogismos primæ Figuræ reduci, non repugnat. Quæ  
 potentia eo nomine appellatur *Logica*, cum præcisè ad *Logicam  
 artem* spectet. Huc quoque refertur potentia *Objectiva Scoti*, quæ

K 3

nihil